

## ENARRATIO

## IN PSALMUM XXXIX.

Sermo ad populum <sup>1</sup>.

I. OMNIA quæ prædictis Dominus noster Jesus Christus<sup>2</sup>, partim facta cognoscimus, partim futura speramus: cuncta tamen complebuntur, quia veritas hæc dicit, et quam fideliter dicit, tam fideles requirit. Qui credit, venientibus lætabitur: qui non credit, venientibus confundetur. Venient tamen illa, sive volentibus hominibus, sive nolentibus, sive credentibus, sive non credentibus, sicut ait Apostolus: « Si negaverimus, et ipse nos negabit: si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest<sup>3</sup>. » Præ cæteris tamen, fratres, hoc mementote breve, et hoc tenete quod modo ex Evangelio omnes audivimus, « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit<sup>4</sup>. » Jam patres nostri traditi sunt in concilia, dixerunt causas apud inimicos quos deligebant; præstiterunt eis et quantam potuerunt correptionem, et quantam valuerunt dilectionem: et sparsus est sanguis justus, et illo sanguine, tanquam seminatione per totum mundum facta, seges surrexit Ecclesiæ. Consequens autem tempus est scandalorum et simulationis et temptationum, per eos qui dicunt: « Ecce hic est Christus, ecce illic<sup>5</sup>. » Hostis ille noster, tunc leo fuit, cum aperte sæviebat: modo draco est, cum occulte insidiatur. Ille autem cui dictum est: « Conculeabis leo-

<sup>1</sup> In isto Sermone disputat adversus Donatistas, nec non contra ludos et spectacula. — <sup>2</sup> Vide D. Guillon, tom. xxi, pag. 464-478. — <sup>3</sup> 2 Tim. ii 12, 13. — <sup>4</sup> Matth. x, 22, et xxiv, 13. — <sup>5</sup> Ibid. 23.

» nem et draconem<sup>1</sup>, » quoniam corpus ejus et membra ejus sumus, sicut conculcavit leonem pedibus patrum nostrorum aperte sævientem, et ad passiones Martyres attrahentem, ita modo draconem conculcet, ne nobis insidietur. De quo draconem nos cautos faciens Apostolus ait: « Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo: timeo autem ne sicut serpens Evas seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a castitate quæ est in Christo Jesu<sup>2</sup>. » Serpens ergo iste adulter antiquus, virginitatem corrumpendam, non carnis, sed cordis inquirit. Sicut autem adulter homo lætatur in nequitia sua, cum carnem corruptit: sic et diabolus lætatur, quando mentem corruptit. Sicut autem patribus nostris adversus leonem opus erat patientia, sic nobis adversus draconem vigilantia. Persecutio tamen sive a leone, sive a draconे, nunquam cessat Ecclesiae: et magis metuendus est cum fallit, quam cum sævit. Illo tempore cogebat Christianos negare Christum: isto autem tempore docet Christianos negare Christum: tunc cogebat, nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias, nunc insidias: videbatur tunc frenens, lubricus nunc et oberrans difficile videtur. Quomodo autem tunc cogebat Christianos negare Christum, apertum est. Attrahebantur enim ut negarent Christum, et confitentes Christum, coronabantur. Nunc autem docet negare Christum, et ideo fallit, quia qui docetur negare Christum, quasi non sibi videtur recedere a Christo. Modo enim quid dicitur ab hæreticis hominibus<sup>3</sup> Christiano catholico? Veni, esto Christianus. Ad hoc dicitur, Esto; ut dicat, Non sum? Aliud longe est, Veni, esto Christianus; aliud, Veni, nega Christum. Apertum malum, frenitus leonis a longe auditur, a longe cavetur. Applicat se lubricus draco, occultis lapsibus serpens, leni tractu sub-

<sup>1</sup> Psal. xc, 13. — <sup>2</sup> 2 Cor. xi, 2. — <sup>3</sup> Donatistis.

repens, astuto sibilo immurmurans, et non dicit : Nega Christum. Nam eum coronatis Martyribus quis audiret? Sed dicit : Esto Christianus. Et ille mirabili voce percussus, si nondum veneno penetratus est, respondet : Plane Christianus sum. Si autem movetur, et dente draconis captus est, respondet : Quare mihi dicens : Esto Christianus? quid enim? non sum Christianus? Et ille, Non. Ergo non sum? Non. Ergo nunc fac me Christianum, si non sum. Veni. Sed cum interrogari cœperis ab Episcopo quis sis, noli dicere, Christianus sum : aut fidelis sum : sed dic non te esse, ut possis esse. Cum enim audierit confessionem Christiani fidelis, rebaptizare<sup>1</sup> non audet : cum autem audierit quod non sit, dat illi tanquam quod non habebat; ut quasi ipse sit extra culpam, quia secundum vocem ejus facit. Ubi quæro abs te, haeretice, cur te extra culpam putas? Quid hac voce audio? quia non tu negas, sed ille negat? Si habet culpam qui negat, quid qui docet negare eum qui negat? Ita-ne vero tu extra culpam es, quia facis docendo Christianus, quod faciebat minando paganus? Et quid agis? Numquid tollis quod habet, quia negavit quod habet? Non facis ut non habeat, sed ut ad poenam habeat. Quod enim habet, habet. Baptismus ille tanquam character infixus est : ornabat militem, convincit desertorem. Quid enim facis? Christum imponis super Christum. Si simplex esses, Christum non duplices. Deinde quæso te, oblitus es quod lapis est Christus, et « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, » hic factus est in caput anguli<sup>2</sup>? Si ergo lapis est Christus, et Christum vis imponere super Christum, excidit tibi quod audivisti in Evangelio, quia lapis super lapidem non

<sup>1</sup> Quia scilicet per imperat. leges constitutis poenis vetitum erat iterari baptismus. Vide Cod. Th. lib. xvi, tit. *Ne sanctum baptisma iteretur.*

<sup>2</sup> Psal. cxvn, 22; Matth. xxi, 42; et 1 Petr. ii, 4 et 7.

stabit<sup>1</sup>? Tantum autem valet junctura charitatis, ut quamvis multi lapides vivi in structura templi Dei convenient, unus lapis ex omnibus fiat. Tu autem discidisti te; ab ædificatione revocas, ad ruinam vocas, et abundant hæc insidiæ, et non quiescunt : et videmus, et toleramus, et quantum possumus reprimere conamur, disputando, convincendo, conveniendo, terrendo, tamen in omnibus diligendo. Et cum hæc nobis agentibus perseverant in malo, et cor nostrum de fraternis mortibus contabescit, cum eos qui foris sunt dolet, his qui intus sunt timet, per angustias multiformes et incessabiles tentationes, quibus abundat hæc vita, quid facturi sumus? Ex abundantia enim iniquitatis fit quidam torpor charitatis, « Quoniam » abundavit iniquitas, refrigerescit charitas multorum<sup>2</sup>. » Et quid sumus facturi, nisi quod sequitur, si tamen ipso adjuvante possimus : « Qui perseveraverit usque in finem, » hic salvus erit<sup>3</sup>?

II. Ergo dicamus quod iste Psalmus, « Sustinens sustinui » Dominum<sup>4</sup>. » Sustinens sustinui, non quemlibet hominem promissorem, qui possit fallere et falli; non quemlibet hominem consolatorem, qui potest tristitia sua ante tabescere, quam me reficere. Consoletur me, fratres, homo cum tristis est tecum, simul gemamus, simul fleamus, simul oremus, simul sustineamus. Quem, nisi Dominum qui promissa non aufert, sed differt? Exhibebit profecto, exhibebit; quia multa jam exhibuit : et nihil de Dei veritate formidare deberemus, etiamsi nihil adhuc exhiberet. Ecce jam putemus ita, omnia promisit, nondum aliquid dedit : idoneus promissor est, fidelis redditor; tu tantum esto pius exactor, etsi parvulus, etsi infirmus, exige misericordiam. Non vides teneros agnos capitibus pulsare ubera matrum, ut lacte satientur? « Sustinens, inquit,

<sup>1</sup> Matth. xxiv, 2. — <sup>2</sup> Ibid. 12. — <sup>3</sup> Ibid. 13. — <sup>4</sup> Psal. xxxix, 2.

» sustinui Dominum. » Et quid ille? An avertit se a te? an sustinentem contempsit? an forte non vidit? Non plane ita. Sed quid? « Et attendit mihi et exaudivit deprecationem meam<sup>1</sup>. » Attendit, et exaudivit. Ecce non frustra sustinuisti: super te oculi ejus, ad te aures ejus. « Oculi enim Domini super justos, et aures ejus in preces eorum<sup>2</sup>. » Quid ergo, cum male faceres, cum eum blasphemares, non videbat? non audiebat? Et ubi est quod in ipso Psalmo dictum est, vultus autem Domini super facientes mala? Sed utquid? « Ut perdat de terra memoria eorum<sup>3</sup>. » Ergo et cum malus esses, attendebat te, sed non attendebat tibi. Proinde iste qui sustinens sustinuit Dominum, parum ei fuit dicere: Attendit me: « Attendit mihi, inquit, » id est, consolando attendit, ut mihi prodesset. Quid attendit? « Et exaudivit deprecationem meam. »

III. « Et quid tibi præstítit? » quid tibi fecit? « Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto limi: et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. » Et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro<sup>4</sup>. » Magna bona præstítit, et adhuc debitor est: sed qui hæc reddita jam tenet, de cæteris credat, qui credere debuit et antequam aliquid sumeret. Rebus etiam ipsis persuasit nobis Dominus noster fidelem se esse promissorem, largum datorem. Quid ergo nunc fecit? « Eduxit me de lacu miseriæ. » Quis est lacus miseriæ? Profunditas iniquitatis ex carnalibus concupiscentiis. Hoc est enim, « Et de luto limi. » Unde te eduxit? De profundo quodam. Unde in alio Psalmo clamabas: « De profundis clamavi ad te, Domine<sup>5</sup>. » Et qui jam de profundo claman, non penitus in profundo sunt: clamor ipse jam

<sup>1</sup> Psal. xxxix, 3. — <sup>2</sup> Id. xxxiiii, 16. — <sup>3</sup> Ibid. 17. — <sup>4</sup> Id. xxxix, 3, 4.  
— <sup>5</sup> Id. cxxix, 1.

levat. Sunt ali profundi in profundo, qui nec sentiunt se esse in profundo. Tales sunt superbi contemptores, non pii deprecatores, non lacrymosi clamatores: sed tales, quales alio loco Scriptura designat: « Peccator » cum venerit in profundum malorum, contemnit<sup>1</sup>. » Cui enim parum est esse peccatorem, nisi etiam non sit peccatorum suorum confessor, sed defensor, altius in profundo est. Ille autem qui de profundo exclamavit, jam ab imo profundi caput ut clamaret levavit: auditus est, eductus est de lacu miseriæ, et de luto limi. Jam habet fidem, quam non habebat; habet spem, sine qua erat; in Christo ambulat, qui in diabolo errabat. Ideo enim, « Posuit, inquit, supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. » Petra autem erat Christus<sup>2</sup>. » Simus super petram, dirigantur gressus nostri: opus est tamen adhuc ut ambulemus, ut ad aliquid perveniamus. Nam Paulus apostolus, jam super petram, jam directis pedibus suis, quid dicebat? « Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim: fratres, ego non arbitror me apprehendisse<sup>3</sup>. » Quid ergo tibi præstítum est, si non apprehendisti? Unde gratias agis, cum dicis: « Sed misericordiam consecutus sum<sup>4</sup>? » Quia directi sunt pedes, quia jam supra petram ambulat. Quid enim ait? « Unum autem quæ retro oblitus<sup>5</sup>. » Quæ retro? Lacus miseriæ. Quid est, retro? Limus luti, concupiscentiæ carnales, tenebræ iniquitatum. « Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extensus. » Non se diceret extensus, si jam pervenisset. Extenditur enim animus desiderio rei concupitæ, non lætitia consecutæ. « In ea quæ ante sunt, inquit, extensus, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu<sup>6</sup>. » Currebat, sequebatur ad palmam. Et alio loco jam proximus palmæ,

<sup>1</sup> Prov. xviii, 3. — <sup>2</sup> 1 Cor. x, 4. — <sup>3</sup> Philip. iii, 12, 13. — <sup>4</sup> 1 Tim. 1, 13. — <sup>5</sup> Philip. iii, 13. — <sup>6</sup> Ibid.

« Cursum , inquit , consummavi<sup>1.</sup> » Quando ergo dicebat , « Sequor ad palmam supernæ vocationis , » quia jam pedes ejus in petra directi erant , jam viam bonam ambulabat : habebat unde gratias ageret , habebat quod peteret , gratias agens de acceptis , petens debita . De quibus acceptis ? De indulgentia peccatorum , de illuminatione fidei , de robore spei , de flamma charitatis . Unde autem adhuc Dominum debitorem tenebat ? « De cætero , inquit , superest mihi » corona justitiae . » Adhuc ergo mihi aliquid debetur . Quid debetur ? « Corona justitiae , quam reddit mihi Dominus in illa die justus judex<sup>2.</sup> » Primo benignus pater , ut erueret de lacu misericordie , ut donaret peccata , ut liberaret de luto limi : postea justus judex , reddens bene ambulanti quod promisit , cui primo ut bene ambularet donavit . Reddit ergo justus judex : sed quibus ? « Qui » perseveraverit usque in finem , hic salvus erit<sup>3.</sup> »

IV. « Et immisit in os meum canticum novum . » Quod canticum novum ? « Hymnum Deo nostro<sup>4.</sup> » Dicebas forte hymnos diis alienis , veteres hymnos : quia vetus homo dicebat , non novus homo : fiat novus homo , dicat canticum novum : innovatus amet nova quibus renovatur . Nam quid antiquius Deo , qui est ante omnia , et sine fine , et sine initio ? Tibi fit novus redeunti ; quia discedendo factus eras vetus , et dixeras : « Inveteravi in omnibus im- » micis meis<sup>5.</sup> » Dicimus ergo hymnum Deo nostro , et ipse hymnus liberat nos . « Laudans enim invoco Do- » minum , et ab inimicis meis salvus ero<sup>6.</sup> » Hymnus est enim canticum laudis . Laudans invoca , non reprehendens . Quando enim invocas Deum , ut premat inimicum tuum , quando de malo alieno gaudere vis , et ad hoc malum invocas Deum , participem eum facis malitia tuæ . Si

<sup>1</sup> 2 Tim. iv, 7. — <sup>2</sup> Id. iv, 8. — <sup>3</sup> Matth. x, 22 , et xxiv, 13. — <sup>4</sup> Psal. xxxix, 4. — <sup>5</sup> Id. vi, 8. — <sup>6</sup> Id. xvii, 4.

participem eum facis malitia , non ergo laudans invocas , sed reprehendens . Talem enim putas Deum , qualis tu es . Unde tibi alio loco dicitur , « Hæc fecisti , et tacui , sus- » picatus es iniuriam , quod ero tibi similis<sup>1.</sup> » Laudans ergo invoca Dominum : noli eum putare similem tibi , ut similis fias illi . « Estote enim sicut Pater vester perfecti , qui » solem suum oriri facit super bonos et malos , et pluit » super justos et injustos<sup>2.</sup> » Sic ergo lauda Dominum , ut nolis male inimicis tuis . Et quantum eis , inquis , velim bonum ? quantum tibi . Non enim de tuo accepturi sunt ut boni sint , aut quod illis dabitur , tibi minuetur . Inimi-cus tuus , quia malus est , inimicus est : fit bonus , et ami-cus erit , et socius erit ; ut simul velis possidere quod amabas , jam frater erit . Laudans ergo invoca , hymnum dic Deo tuo . « Sacrificium laudis , ait , glorificabit me . » Et quid ? Major gloria erit Deo , quia glorificas eum ? aut addimus gloriam Deo , quando ei dicimus : Glorifico te , Deus meus ? aut sanctiorem eum facimus , quando dicimus : Benedico te , Deus meus ? Ipse quando nos benedicit , facit nos sanctiores , facit nos feliores ; quando nos glorificat , facit nos gloriores , facit nos honoratores : quando eum glorificamus , nobis prodest , non illi . Quomodo enim eum glorificamus ? Gloriosum dicendo , non faciendo . Proinde quid secutus ait , cum diceret : « Sacrificium » laudis glorificabit me ? » Ne putares te aliquid præstare Deo offerendo illi sacrificium laudis , « Et ibi est via , » inquit , ubi ostendam illi salutare meum<sup>3.</sup> » Vides quia tibi proderit laudare Deum , non Deo . Laudas Deum ? ambulas viam . Reprehendis Deum ? perdidisti viam .

V. « Et immisit in os meum canticum novum , hymnum » Deo nostro . » Forte querit aliquis , quæ personat loqua- tur in hoc Psalmo . Breviter dixerim , Christus est . Sed sicut

<sup>1</sup> Psal. xl ix, 21. — <sup>2</sup> Matth. v, 45 et 48. — <sup>3</sup> Psal. xl ix, 23.

nostiſ , fratres , et ſæpe dicendum eſt , Christus aliquando loquitur ex ſe, id eſt, ex capite noſtro . Eſt enim ipſe Salva- tor corporis<sup>1</sup>, caput noſtrum, Filius Dei natus ex Virgine, paſſus pro nobis, reſurgens ad nos justificandoſ, ſedens ad dexteram Dei ad interpellandum pro nobis<sup>2</sup>, retributurus omnia in juſdicio bona bonis, mala malis. Caput noſtrum ille, caput dignatus eſt corporis fieri, carnem aſſumendo a nobis, in qua moreretur pro nobis: quam etiam reſuſcitavit propter noſ; ut in illa carne reſurrectionis nobis p̄eberet exemplum, ut ſperare diſceremus quod deſperabamus, et haberemus jam pedes in petra , ambularemuſ in Chriſto. Loquitur ergo aliquando ex capite noſtro , loquitur aliquando et ex nobis, id eſt, ex membris ſuis : quia etiam quando dixit : « Esurivi , et dediſtis mihi manducare<sup>3</sup>. » ex membris ſuis loquebatur, non ex ſe. Et quando dixit : « Saule , Saule, quid me perſequeris<sup>4</sup>? » caput pro membris clamabat : et tamen non dixit : « Quid perſequeris membra mea? » ſed, « Quid me perſequeris? » Si in nobis ipſe patitur, et nos in illo coronabimur. Hæc eſt charitas Chriſti. Quid huic comparari potest? Hujus rei hymnum immiſit in os noſtrum, et dicit hoc ex membris ſuis.

VI. « Videbunt iuſti, et timebunt, et ſperabunt in Do-» minum. Videbunt iuſti. » Qui iuſti? Fideles : « Quia » jūſtus ex fide vivit<sup>5</sup>. » Etenim in Ecclesia iſte ordo eſt, alii p̄aecedunt, alii ſequuntur: et qui p̄aecedunt, exemplo ſe p̄abent ſequentibus; et qui ſequuntur, imitantur p̄aecedentes. Sed et illi qui ſe exemplo p̄abent ſequentibus, numquid neminem ſequuntur? Si neminem ſequuntur, errabunt. ſequuntur ergo et illi aliquem, iſpum Chriſtum. Meliores quique in Ecclesia , quibus non remanſit jam homo quem imitantur, quia omnes proficiendo

<sup>1</sup> Ephes. v, 23. — <sup>2</sup> Rom. viii, 23. — <sup>3</sup> Matth. xxv, 35. — <sup>4</sup> Act. ix, 4.  
— <sup>5</sup> Habac. ii, 4, et Rom. i, 17.

ſuperaverunt, ipſe Chriſtus eis remanet, quem uſque in finem ſequantur. Et cernitiſ ordinatoſ graduſ per Paulum apostolum dicenteſ : « Imitatores mei eſtote, ſicut et » ego Chriſti<sup>1</sup>. » Ergo qui jam directoſ gressuſ habent in petra, forma ſint fidelibut. « Sed forma , inquit , eſto » fidelibut<sup>2</sup>. » Ipsi fideleſ ſunt iuſti, qui attendenteſ eos, qui ſe in bono p̄aecedunt, imitando ſequuntur. Quomodo ſequuntur? « Videbunt iuſti et timebunt. » Videbunt, et timebunt ſequi vias maſtas, cum vident quoſque meliores jam elegiſſe vias bonaſ; et dicuſt in animo ſuo, quemadmodum ſolent diſcretoſ viatores, attendenteſ alioſ cum preſuptione ambulaſt in via , ipsi adhuc incerti viæ, et quaſi fluctuantे qua eant, dicuſt ſibi : Non fruſtra illi hac eunt, quando illo eunt quo noſ ire voluſt : et quare cum magna fiduſia hac eunt, niſi quia illaſ ire perniociſum eſt? « Videbunt ergo iuſti, et timebunt. » Anguſtam viam vident hac, latam viam vident illaſ : hac vident paucos, illaſ multos<sup>3</sup>. Sed si iuſtuſ eſt, noli numerare, ſed appende; ſtateram affer aequaſ, non doloſaſ, quia iuſtuſ appellaſt eſ: « Videbunt iuſti, et timebunt, » dictuſ eſt de te. Noli ergo numerare turbaſ hominuſ incedenteſ laſtas vias, implenteſ crastinuſ circum, ciuitatiſ Nataleſ clamando celebranteſ, ciuitateſ ipsaſ male vivendo turpanteſ. Noli ergo illoſ attendere : multi ſunt, et quiſ numerat? Pauci autem per viam anguſtam. Profer, inquam, ſtateram, appende : vide contra pauca grana quaſtam paleam leves. Hoc agant fideleſ iuſti qui ſequuntur. Quid illi qui p̄aecedunt? Non ſuperbiant, non ſe exaltent, non decipient ſequenteſ. Quomodo poſſuſt deci- pere ſequenteſ? Promittendo illiſ in ſe ſalutem. Quid ergo debent illi qui ſequuntur? « Videbunt iuſti et timebunt, et ſperabunt in Dominiſ: » non in eoſ a quibuſ p̄aecedun-

<sup>1</sup> Cor. iv, 16. — <sup>2</sup> 1 Tim. iv, 12. — <sup>3</sup> Matth. vii, 13, 14.

tur, sed attendendo præcedentes se, sequuntur quidem et imitantur, sed quia cogitant a quo acceperint illi ut præcedant, et in eum sperant. Quamvis ergo istos imitentur, spem suam tamen in illo ponunt, a quo et isti acceperunt unde tales sunt. « Videbunt justi, et timebunt, et sperabunt in Dominum : » quemadmodum in alio Psalmo : « Levavi oculos meos in montes<sup>1</sup>, » intelligimus montes, claros quosque et magnos Ecclesiæ spiritales viros, magnos soliditate, non tumore. Per ipsos nobis Scriptura omnis dispensata est ; Prophetæ sunt, Evangelistæ sunt, doctores boni sunt : « Illuc levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. » Et ne humanum putares auxilium, sequitur, et dicit : « Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram<sup>2</sup>. Videbunt justi, et timebunt, et sperabunt in Dominum. »

VII. Eia qui volunt sperare in Dominum, qui vident et timent ; timeant ambulare vias malas, vias latas, eliant viam angustam, ubi jam supra petram quorundam directi sunt gressus : quid facere debeant, audiant modo. « Beatus vir cuius est nomen Domini spes ejus, et non resipexit in vanitates et insanias mendaces<sup>3</sup>. » Ecce quae volebas ire, ecce turba viæ latæ : non frustra ipsa dicit ad amphitheatum, non frustra ipsa dicit ad mortem. Via lata mortifera est : latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in æternum. Sed turbæ strepunt, turbæ festinant, turbæ collætantur, turbæ concurrunt. Noli imitari, noli averti, vanitates sunt, et insanias mendaces. Sit Dominus Deus tuus spes tua : non aliud aliquid a Domino Deo tuo speres, sed ipse Dominus tuus sit spes tua. Namque multi de Deo sperant pecuniam, multi de Deo sperant honores caducos et perituros, aliud quodlibet a Deo præter ipsum Deum : sed tu ipsam Deum tuum pete : imovero

<sup>1</sup> Psal. cxx, 1, 2. — <sup>2</sup> Ibid. 2. — <sup>3</sup> Id. xxxix, 5.

contemptis aliis, perge ad illum ; obliviscens alia, memento illius ; relinquens retro alia, extendere in illum. Ipse certe aversum corredit, ipse dicit rectum, ipse perducit : ergo sit ipse spes tua, qui dicit et perducit. Quo dicit et quo perducit terrena avaritia ? Fundos quærebas, terram possidere cupiebas, vicinos excludebas ; illis exclusis, aliis vicinis inhiabas : et tandem tendebas avaritiam, donec ad littora pervenires : perveniens ad littora, insulas concupiscis ; possessa terra, cœlum forte vis prendere. Relinque omnes amores : pulchrior est ille qui facit cœlum et terram.

VIII. « Beatus vir, cuius est nomen Domini spes ejus, et non resipexit in vanitates et insanias mendaces. » Unde enim insanias mendaces ? Insanias mendax, sanitas verax. Quæ vides bona putas, falleris : sanus non es, nimia febre phreneticus factus es, verum non est quodamas. Laudas aurigam (10), clamas aurigæ, insanis in aurigam. Vanitas est, insanias mendax est. Non est, ait, nihil melius, nihil delectabilius. Quid facio febrenti ? Si est in vobis misericordia, orate pro talibus. Quia et ipse medicus plerumque in desperatione convertitur ad eos qui circumstant lacrymantem in domo ; qui pendent ex ore ejus audire sententiam de ægroto et periclitante : stat anceps medicus, non videt bonum quod promittat, timet malum pronuntiare, ne terreat ; modestam plane iste concipit sententiam : Bonus Deus omnia potest, orate pro illo. Quem itaque comprehendam istorum insaniorum ? Quis me audiat ? quis eorum nos non miseros dicat ? Quia cum eis non insanimus, amisisse nos putant magnas et varias voluptates, in quibus ipsi insaniant : nec vident quia mendaces sunt. Quando illi ovum do vel invito, vel calicem salutarem porrigo saucio ; et quomodo reficiam, quando invenio ? Ne inedia deficiat, et ad sanitatem non perveniat, hortor